

DAE. Tanto illi melius optigit qui perdidit :

Tuom esse nihil magis oportet uidulum.

GR. Isto tu's pauper, quom nimis sancte piu's.

DAE. O Gripe Gripe, in aetate hominum plurumae

Fiunt transennae, ubi decipiuntur dolis.

Atque edepol in eas plerumque esca inponitur :

Quam si quis audius poscit escam auariter,

Decipitur in transenna auaritia sua.

Ille qui consulte, docte atque astute cauet,

Diutine uti bene licet partum bene.

Mi istaec uidetur praeda praedatum irier,

Ut cum maiore dote abeat quam aduenierit.

Egone ut quod ad me adlatum esse alienum sciam

Celem ? minume istuc faciet noster Daemones.

Semper cauere hoc sapientis aequissimumst,

Ne concii sint ipsi malefici suis.

GR. Spectaui ego pridem comicos ad istum modum

Sapienter dicta dicere atque is plaudier,

Quom illos sapientis mores monstrabant poplo.

Sed quom inde suam quisque ibant diuorsi domum,

Nullus erat illo pacto ut illi iusserant.

DAE. Abi intro, nam molestu's : linguae tempera.

Ego tibi daturus nil sum, ne tu frustra sis.

GR. At ego deos quaeso, ut quidquid in illo uidulost,

Si aurum, si argentumst, omne id ut fiat cinis.

DAE. Illuc est quod nos nequam seruis utiunur.

Nam illic servos si cum iniquo congressus foret,

Et ipsum sese et illum furti astringeret.

Dum praedam habere se censeret, interim

Praeda ipsus esset : praeda praedam duceret.

Nunc hinc intro ibo et sacrificabo : postibi

Iubebo nobis cenam continuo coqui.

CANTOR. Nunc, spectatores, bene valete et plaudite.

1236

1240

1245

1250

1255

1260